

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCL

A DIE XVI M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

CORRIGUNTUR IN PRAEFATIONE

ALIQUOT LOCI MILITIS GLORIOSI.

LITERIS ADLERIANIS.

ЖАДИ НИКОЛЮ

卷之三十一

PLATES IN THE LIBRARY

zillent in seco. Hoc inbandum in anno millesimo octavo (1022 a. J. C.) annis
aetatis idem filius eiusdem obseruantur in scolam nupis eius zillentibus tibie. Et
mellitibusq; eiusdem obseruantur in scolam nupis eius zillentibus tibie. Et
opere misteriis in eis. Easdem misteria sibi in scolam nupis eius zillentibus
tibie. Et frequentissime omni busi misteriisq; amplexu in scolam nupis eius zillentibus
tibie. Tunc obiectum civib; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq;
annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq;
annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq;
annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq; annisq;

Militem Gloriosum, quae comoedia non paucis locis valde corrupta est, quum ante
hos sedecim annos in scholis academicis primum explicaverim, tum eandem iterum
hac hieme interpretor. Conjecturas jam illo tempore permultas feceram easque, si
res tulisset, antea edidisse. Uno abhinc mense praestantissimam editionem F.
Ritscheli accepi, quem de Plauto restituendo praecclare meritum esse constat. De
cujus viri laudibus plura dicerem, si ipse aut testimonio virtutum suarum egeret
aut praeconium desideraret. Sed incommode accidit, ut quum primas scenas jam
pertractasse et in media prope fabula versarer, tum demum Ritscheli editio ad
nos perveniret. Ita fit, ut mihi de mediis fabulae partibus et longe plures et
caeteris fere certiores emendationes afferre liceat, quas alio fortasse loco edam
collectas. Nunc enim vel invito mihi ab initio fabulae initium faciendum est. In
primo igitur actu complures versus inveniuntur, quos hodie vix ullo modo restitui
posse semper judicaverim. Ac Ritschelium quidem video plerumque vel suas vel
aliorum conjecturas in ordinem recepisse. Praestitisset tamen, ut opinor, antiquissimam corruptionem in talibus quidem locis retinuisse, quam ea subrogasse, quae
a Plauto non scripta esse primus doceat adspectus. Profecto ne tum quidem Ritschelius,
subtilissimo vir ingenio inventionis laude defraudandus est, qui recte contendat (Praef. p. XXXII), perpaucia esse Militis ulcera, quibus ipse medicinam ex-
cogitare omnino nullam potuerit. Hic si eo consilio edere Plautum voluisset, ut
res tamen et sententia aliquo modo intelligi posset, operae pretium nobis fecisse
videretur: nunc quum ipsam Plauti manum et voluerit restituere et saepe feliciter
restituerit, constare sibi ubique debebat neque Ritscheliana pro Plautinis venditare.
Nam hoc ne Hermannus quidem sibi indulsisset, ut Plauti versus saepe justo audacius
corrigeret, si antiquissimorum librorum scripturis jam tum uti potuisset. Ritschelius

autem (Praef. p. XXIII) quum se fatetur posse in quibusdam falli, posse in multis, tum vero addit saepius sine aliqua audacia in instaurando Plauto nihil profici. Ego vero mallem F. Ritschelium R. Porsoni ingenium et singularem illam prudentiam induisse, quam R. Bentleji audaciam ita aemulatum esse, ut eam ipsam saepe vicerit. Nimia enim audacia fecit, ut Bentlejus Terentium haud raro corrumperet, nocuitque eadem etiam Plauto semperque nocebit. Contra omnium judicio Ritschelius ad instaurandum Plautum natus esse videbitur, si R. Porsoni editiones, si recensiones I. Bekkeri sapientissimi critici sequi voluerit, praesertim quum ut graecos scriptores Bekkerus, sic ipse Plautum antiquorum librorum ope recensere atque emendare possit. Sed ad fabulam ipsam transeamus. Act. I v. 11 „tum bellatorem. Mars haud ausit dicere.“ Jure Ritschelius Bothii et H. Sauppii emendationes has recepit, „Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere.“ — Ibid. v. 34 „Venter creat omnis has aerumnas : auribus | peraudienda sunt, ne dentes dentiant.“ Pro vulgata „peraudienda sunt“ codex Decurtatus exhibet, „peraurienda sunt,“ in quo verum latere post Pareum et Guyetum optime sensit Ritschelius. At neque „auribus perhauriendumst“ latine dictum est, neque magis ferri potest, „auribus perhaurienda haec sunt“: quando „auribus perhaurire“ minime significat „audire.“ Immo pro istis „peraurienda sunt“ corrigi debet „perhauriendae sunt“ scil. aerumnae:

„Venter creat omnis has aerumnas : auribus
perhauriendae sunt, ne dentes dentiant.“

Pro eo, quod apud Ciceronem similesque scriptores est, „exhaurire labores, dura et aspera,“ Plautus dicit „perhaurire“ Graecorum exemplo, qui tam διαντλεῖν παχά quam ξεντλεῖν usurpat. Hoc igitur dicit, ventrem esse aerumnarum auctorem, auribus vero has aerumnas perpetiendas esse. — Ibid. v. 41. H. I. Ritschelius certa secutus Ambrosiani vestigia egregie restituit, „Novisse mores tuos me meditate decet, | curamque adhibere, ut praeolat mihi quod tu velis.“ — Ibid. v. 68 sq. PY. „Nimis miseria nimis pulchrum esse hominem. | ART. Molestae sunt, orant, ambiunt, obsecrant.“ Ita antiqui codices. Priore versu miles dolere videtur, sibi met ipsi nimiam pulchritudinem oneri esse (cf. v. 67 et v. 71): posteriore lenius Ritschelius corredit „Molestiae sunt,“ quam Camerarius „Molestae sunt mihi.“ Sed praeterea v. „ambiant“ neque metro satis convenit, et toto genere ineptum est. Nam latine dici solet „oro et obsecro“, minime vero, „oro, ambo, obsecro.“ In edit. Ald., ut Pareus in ed. III refert, legitur „Molestae sunt : accedunt, orant, obsecrant“, ex quo patet jam alios in v. „ambiant“ haesisse. Sed qui ejusdem scenae v. 62 et v. 66 contulerit, mecum fortasse statuet in literis istis „ambae et“ reconditum latere. Totum locum ita corrigo, „PY. Nimiae est miseriae mihi, pulchrum esse hominem nimis. | ART. Molestiae sunt : orant ambae et obsecrant, | videre ut liceat —.“ — Act. II Sc. I v. 6 „Nunc qua adseditis causa in festivo

loco, | comediae, quando aucturi sumus, | et argumentum et nomen vobis eloquar.“ Ita Vetus codex a p. m., idem tamen a m. sec. pro „quando“ exhibit „quam modo“; in Decurtato est „quandos“, in aliis libris „quam.“ Quod Pylades conjecit „quam nos“, id adeo ad Decurtati lectionem adcommodatum est, ut scribere non dubitem „comoediae, quam nos acturi sumus.“ A secunda manu Veteris cod. profectae sunt conjectuae et Camerarii „comoediae, quam nos modo acturi sumus“, et quam Ritschelius probavit, Scioppii „comoediae, quam modo acturi sumus.“ At „modo acturus sum“ non magis latine dictum est, quam attice ἀρτὶ γένω (Thomas M. p. 29 ed. Ritschel.). Nam si quando „modo“ cum Futuro jungitur, id ratione fit ab h. l. alienissima. Tum enim significat „tantummodo, nur noch“, ut in Ter. Andr. III, 4, 15 „domum modo ibo“ et in Plaut. Captiv. II, 3, 98. — Ibid. v. 10. Palatini Veteris „ide“ confirmat „inde est“ verissimam Lipsii emendationem. — Ibid. v. 20 in libris est, „Is amabat meretricem matre Athenis Atticis.“ Pro „matre“ corrigo „ante“ (scil. ante militem). Cf. infra v. 54, quem Guyetus male a Plauto abjudicat, „Dedi mercatori quidam, qui ad illum deferat, | meum erum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat“ („fuerat“ scil. antequam proficisceretur Naupactum, „amaverat“ autem scil. antequam miles amaret). — Ibid. v. 39 „Ubi sumus proiecti in altum, fit quod volunt, | capiunt praedones navem illam, ubi vectus fui: | prius perii, quam ad erum veni, quo ire occuperam.“ Posui scripturam Palatini Veteris: nam in Decurtato est „sit quod volunt.“ Bothii et Ritschelii conjectura „sicut voluerunt“ sententiae repugnat. Neque enim hoc dicit Palaestrio, quod primum Grutero in mentem venit, ita evenisse, ut praedones voluisserent, sed potius dicit id non factum esse, quod ipse voluisse, adeoque se ipsum spe excidisse. Quare etiamnunc puto Platum ita locutum, ut ante hos sedecim annos correxi, „Ubi sumus proiecti in altum, id quod di volunt —.“ Similiter J. Lipsius conjecterat, „Ubi sumus proiecti in altum, id quod di volunt —.“ Nam in re subita, cuius ratio reddi vix ulla posset, dici solebat „sic di voluerunt“ vel simili modo (cf. intpp. ad Horat. Od. I, 12, 31). — Ibid. v. 48 „Ait fugere sese Athenas cupere ex hac domu.“ Ita Ritschelius edidit verissime, qui quum de ordine verborum taceat, omnium codd. auctoritatet videtur secutus esse. Evidem in omnibus, quas quidem praeterea viderim, edd. legi, „Ait sese Athenas fugere cupere ex hac domu.“ — Ibid. v. 58 optime Ritschelius „atque“ correxit pro „itaque“, quod natum est e v. 60. Item laudo, quod idem V. D. mox v. 64 pro „perfodi“ metri causa scripsit „perfodivi.“ Tum plurimi per totam fabulam loci inveniuntur, in quibus Ritschelius ea bene restituerit, quae latini sermonis indoles et consuetudo postularent. Quae etsi non tam pulchrum est scire quam turpe nescire, levia tamen videri non debent. Per multa hujusmodi ego jam a. 1834 per me corrixeram, velut in primis scenis Act. I v. 26 praefregisti; v. 59 pulcher. vel illae; Act. II

sc. I v. 3 nolet; v. 15 devenerim; v. 75 sublinetur os; Act. II sc. II v. 20 tuus conservus (deleto „est“); v. 26 si est. — Act. II Sc. II v. 3. Qui Ciceronis epistolas legerit, in quibus forma „mi“ saepe exstat, fortasse eam conjicet plerumque encliticae *μοὶ* Graecorum respondere. Neque alia sententia fuisse videtur Ritscheli, qui in Prolegom. ad Trinumm. p. CCXCI et p. CCCXLVII paullo melius quam olim Hermannus in Praefat. ad Trinumm. p. XV de ea re exposuit. Collegit enim Ritschelius ut raros ejusmodi locos, qui „mi“ formam in arsi dactylici versus exhibeant. At ex eo sequi videtur, quod idem V. Cl. non concessit, etiam a comicis „mi“ in arsi idque ante consonantem poni potuisse et colligenda potius haec loca, quam corrigenda esse. Attingam hic tantum voces „mi quidem“ conjunctas, quarum loco „mihi quidem“ et exspectamus et dici ita videmus in Trinummo II, 2, 37 et alibi. Tamen in Ter. Adelph. III, 3, 25 „prius nolo. D. haecine flagitia? SY. mi quidem non placent“ ipsum metrum „mi“ formam postulat. Deinde in Militis versu, qui prae manibus est, recte scriptum est in libris, „Mi quidem jam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi.“ Temere Ritschelius „jam“ particulam h. l. elegantissimam aptissimamque delevit scripsitque, „Mihi quidem arbitri —.“ Corruptus est alias Terenti locus in Andria I, 3, 20 „Mihi quidem hercle non fit verisimile, atque ipsis commentum placet. | Set Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut | conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.“ Tacet Bentlejus de vv. 21 et 22, qui et ipsi tetrametri esse debent trochaici, quales sunt et superior et inferiores versus. Sed v. 20 et de metro recte judicavit et „hercle“ bene delevit. Ibidem antiqui libri et diserte Donatus „atque“ habent, non „atqui“, neque „at.“ Evidem sic conjicio,
 „Mi quidem non fit veri simile, atque ipsis commentum placet.
 Séd [foris crepit:] Mýsis ab ea egréditur. at ego hinc me ád forum,
 Ut conveniam Pámphilum, ne páter imprudentem ópprimat.“
 V. 21 metri causa „foris crepit“ inserui. Simillimos locos attulit Bentlejus ad Andr. IV, 1, 58, quibus addere licet Adelph. II, 3, 11; Plaut. Mil. Gl. II, 1, 72; Pers. III, 2, 5. V. 22 etiam metri causa delevi ineptum glossema „de hac re“, quod loco non suo positum et olim ad v. „conveniam“, non ad „opprimat“ spectasse puto. — Ibid. v. 14 „Aggrediar hominem . estne advorsum est quasi.“ Ita mutilo versu libri praeter Ambrosianum omnes, quorum partim post „hominem“ habent vacuum spatium, quod Ritschelius addito PER. nomine recte explevit. Integrum versum servavit Ambrosianus,
ADGREDIARHOMINEM.. TNEADUORSUMHICQUIAUEN.T
 post quae sequuntur in novo versu valde lacerarum literarum fragmenta. Sed non prorsus certae sunt AU literae post QUI, ut mihi conjicere licet in Ambrosiano potius esse ADU. Frustra de h. l. Ritschelius p. 30 laboravit, cuius aciem mala

Gruteri conjectura „itne advorsum“ praestinxisset, recte tamen idem legerat Ambrosianum, in quo fortassis ne litera quidem mutanda est. Quaerendum erat, quid h. l. dictum oporteret. Nam Periplecomenus, qui v. 15 „haut multos“ cet. servum jam agnoverit, nostro versu non potest Palaestriō non disertis verbis agnoscere. Ita apparet, laceras in fine literas has fuisse, PALAESTRIO, atque eas ipsas literas in caeteris libris facile eo excidissemus, quod ab initio versus 15 PALAESTRIO loquitur. Quamobrem sic Plautus scripserauit.

Adgrediar hominem. PER. estne, advorsum hic qui advenit, Palaestrio?

PAL. Quid agis, Periplecomene?

Nempe tam est latinum „advorsum advenire“ (cf. Mostellar. I, 4, 1) quam „advorsum ire.“ Ad sententiam loci similes sunt Ter. Andr. V, 4, 4; Hecyr. I, 2, 6; Plaut. Rud. I, 4, 15 al. — Ibid. v. 29 — 39. Locum nunc paullo longiore tractabo, ut fides fiat, Ritschelium nonnunquam nimia et vix ferenda audacia in Plautum grassari coepisse. Viderat aliquis militis servus de tegulis intus apud Periplecomenum militis concubinam atque hospitem osculantes: quae res ne militi prodatur, Palaestrio primum nuntiari jubet, ut concubina quam celerrime domum militis redeat. Deinde haec sequuntur,

„PER. Dixi ego istuc: nisi quid aliud vis. PA. volo. hoc ei dico,
PROFECTOUTNEQUOQUAMDEINGENIODEGREDIATURMULIEBRI
earumque artem et disciplinam optineat colerem. PER. quemadmodum?“

Secundus versus in solo exstat Ambrosiano. Quem versum Plauti esse ipsius liquet vel ex initio v. 30, ubi et Ambrosianus „ARUMQ.“ (hoc est „earumque“) exhibet, et „Earumq.“ codex Vetus et „Earumque“ Decurtatus. Nam ut antiqui critici non potuerunt genitivo „Earumque“ non offendit: ita cognito jam Ambrosiani versu apparet cum hoc ipso versu etiam v. 30 „Earumque“ servandum esse, quod nunc demum habet, quo referatur „MULIEBRI.“ At Ritschelius, cui p. XXVI „earumque“ manifesto ad „mulierum“ spectare videtur, non ad „muliebri“, p. 34 sic judicat, in Ambrosiani versu olim scriptum fuisse „mulierum“ atque eo pronomen „earumque“ referri. Tametsi autem Ritschelio miror hanc syntaxin haud probatam esse: tamen longe alia de causa pro „MULIEBRI“ et ipse corrigo „MULIERUM.“ Nam ita demum hi duo versus erunt ὅμοιοτέλευται („mulierum“ — „quemadmodum“). Alter vix liquet, quomodo prior versus excidere potuerit. Tum quod in Ambrosiani versu ingenium muliebre in universum memoratur, cum ea ratione optime convenit v. 38 sq. „Nam mulier olitori —.“ Tamen Ritschelius et v. 30 „earumque“ rejicit ut glossema, et Ambrosiani versum totum a Plauto abjudicat, quem versum dicit ille quidem p. XXVII „pinguissimum esse interpretamentum“, quod quale sit intelligi non potest. Immo hoc unum

quaeritur, quomodo vitiosus versus emendari debeat. Quum v. 33 sqq. concubinae et obstinatio et fraudulentia describatur, nostro loco mulieres dicendae sunt tum ingenio obstinatae esse tum etiam disciplina fraudulentiae: quae vitia saepius ut in Virg. Aen. II, 62 conjunguntur. Itaque conjicio,

„praefracto ut ne quā de ingenio dégrediatur mūlierum.“

Etiam alibi legitur „ut ne qua“, velut in Ter. Adelph. IV, 4, 18. Addo etiam, Ambrosianum ipsum h. l. corruptum esse, cuius scripturam et A. Maius et F. Ritschelius, cuius videnda praefatio p. VII et p. X, recte legisse videantur. Versu 30 Decurtatus habet „colerem et quemadmodum“, Vetus „colorem. PE. quemadmodum“, sed in Ambrosiano certe non fuit „colorem.“ Pro isto „colerem“ vel „colorem“ dubitanter conjicio „corde“, praeterea nihil muto,

„eārumque artem et disciplinam obtineat corde. PER. quemadmodum?“

Ritschelius paene omnia mutavit conjecture et vero edidit,

„Ne hérkle usquam artem et disciplinam apstineat colere. Per. quemadmodum?“ V. 31 pro vulgata, „ut eum, qui hic se vidit“ jure Ritschelius ex ipso Ambrosiano reposuit „ut eum, qui se hic vidit.“ Ibidem id olim probaveram, quod in Parei edd. II et III exstat, „verbis vincat, ne se viderit.“ Nam id ipsum in Palatinorum scripturis latere censebam. Quibus in libris quum „ne esse viderit“ legatur, tanto magis corrigendum erit, „ne is se viderit“, quum in ipso Ambrosiano legi dicatur „UERBISUINCATNEISTEUIDERIT.“ Ritschelius certe non edidisset ex Ambrosiano „ne iste viderit“, si reputasset, pronomen „iste“ ab h. l. alienum esse. V. 33—37 mores concubinae describuntur. V. 34 Libri omnes, etiam Ambrosianus servant „confirmitatem“, insolens verbum et mire formatum. Significatur autem mala pertinacia, quum „firmitas“ et „firmitudo animi“ alibi semper laudem habeat, etiam in ipso Plauto Asinar. II, 2, 54. Ita „fidentiam“ in laude, „confidentiam“ autem in vito poni Cicero in Disp. Tusc. III, 7 docuit. Quare non ausim damnare „confirmitatem“, praesertim quum et verba „confidentiam, confirmitatem“ jungantur, et Plautus pro Tullianis „dignus, decet, futurum“ etiam „condignus, condecet, confuturum“ dixerit. Meliora de hoc vocabulo ab aliis edoceri cupio: hoc unum deprecor, ne quis optimum versum Plauto suppositum esse conjiciat, id quod Guyetus et Ritschelius fecerunt. At, inquit Ritschelius, septenarios caesura destitutos Plautus non fecit, de qua re superiore anno dixit in Proleg. ad Trinumm. p. CCLXXV sq. Quo in loco quae de triplici septenariorum caesura disputavit, omnia a me occupata erant a. 1831 (De trimetro Graecorum comico p. 9 sq.), partim etiam ab eo, quem ibidem appellavi, Reisigio Conj. p. 127: ut ne Reisigii quidem a Ritschelio mentionem factam mireris. Quod autem in iisdem Prolegomenis addit, si qui versus nullam harum trium caesurarum habeat, eum corruptum videri: id vero neque mihi neque Reisigio in mentem venerat, nec profecto Ritschelio ipsi venire in mentem

debebat. Contrarius error fuit Hermanni ipsius, qui in El. D. M. p. 82 contendit in septenariis caesuram a comicis saepissime neglectam esse. Sed satis de caesuris „non podicis.“ V. 35 Libri omnes „Qui arguat se, eum contra vincat jurejurando suo.“ Quum in descriptione morum neque locus sit conjunctivis, et ii ipsi e v. 31 „vincat“ facile nasci potuerint: corrigendum esse puto, „Qui arguit se, eum contra vincit jurejurando suo.“ Mulierum peruria, amatoria maxime a multis commemorantur, ut a Sophocle ap. Photium Biblioth. p. 539, a, 15 Bekk. et Plauto in Amphitr. II, 2, 206. Alia emendationis via inita Ritschelius hunc versum „Qui arguat se —“ transposuit post v. 31 „Ut eum, qui se hic vidit“ —, id quod fieri vix potest. Neque enim ausim alio enuntiato dirimere sententias tam arcte connexas, „Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne is se viderit: | si quidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat.“ Atque id Ritschelius ipse sensisse videtur, qui p. 34 adjecerit, huic versui „Qui arguat se —“ etiam post v. 32 „si quidem centiens —“ locum esse non incommodum. Et hanc quidem transpositionem mihi quoque fateor in mentem venisse, ita tamen, ut praeterea „Si arguat se“ pro „Qui arguat se“ scribi vellem hoc modo, „Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne is se viderit: | si quidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat. | Si arguat se, eum contra vincat jurejurando suo. | Os habet —.“ Ita verbi „arguat“ Subjectum erit is, qui hic osculantem vidit: qui unus eam tum quidem arguere poterat. Contra „qui arguat“ non ad unum, sed ad omnes, quicunque arguant, refertur: ut v. 35 „qui“ positum sit aptissime. Sed ex eo ipso sequi videtur, nulla totius versus transpositione utendum, sed retento etiam „qui“ pronomine pro „arguat“ et „vincat“ indicativos reponendos esse. V. 36. Hic versus quum exstet in caeteris libris, abest tamen ab ipso Ambrosiano, in quo versus 35 et 37 continui leguntur. Ac Ritschelius quidem versum delevit offensus etiam forma „falsijurius.“ At si cum adjективis „perjuriosus, perjurus“ comparaveris „injuriosus, injurius et injurus“ (Plaut. Pers. III, 3, 4): e notissimo „injurius“ patebit „falsijurius“ (et „perjurius“) analogiae non repugnare. Jam neque numeri mali sunt et optima est ipsa sententia. Concubina, inquit, pejerare solet (v. 35): nam jurisjurandi sanctitatem vincit animi perfidia (v. 36). Quum igitur in utroque versu de perjurio sermo sit sententiaeque arctissime cohaerent, videri potest alter alterum defendere. Itaque erunt, qui neque versus 36 delere audeant, neque versus 35 loco movere. Accedit, quod v. 36 facile excidere poterat tum ob similem exitum versuum 35 et 36, tum ob homoeoarcton versuum 36 et 37 „domi.“ Nam tali maxime modo saepe exciderunt versus genuini, ut in hac ipsa scena v. 17 (172), quem Ritschelius ex eodem Ambrosiano eoque solo restituit. Vel sic tamen concederem, versum 36 esse interpolationem docti lectoris eumque versum hac una de causa, quod ab Ambrosiano abest, delerem: nisi versus 37 impedimenti loco

esset: quem versum quum nec delere neque transponere liceat, tum eundem sine versu 36 ne intelligere quidem licet. Nam versus ipsi hi sunt,
 „Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium,
 domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.“

Quare si utique versus 36 delendus esset, hoc tamen maneret, eo ipso loco unum versum excidissemus eumque talem, qui et ipse, ut anaphora docet, a „Domi“ vel a „Domi habet“ incepit. At erunt fortasse, qui versu 36 Ambrosiani auctoritate delecto versum 37 post v. 39 transponant hoc ordine,

„Domi habet hortum — maleficos,
 domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.“

Et sane Ritschelius in similem conjecturam incidit. Sed haec speciosa sunt, vera non item. Nam post versum 39, quo ipso obscoenus jocus continetur, oratio manifesto finita est. Nimis mire et inconcinne dixeris: „mulier domi habet cunnun, domi dolos et fallacias.“ Scio equidem longe aliter visum esse Ritschelio p. XXIX et p. XXXI, quo judice perversum est, in fine demum subsequi comparationem cum horto et condimentis factam, praecedere autem eas res, quae ad condimentorum notionem explicandam maxime pertineant (os, linguam, perfidiam, malitiam, audaciam). Nimirum vir egregius versum 39 male interpretatus est. Nam quid sibi „condimenta“ velint, satis ex ipso horto apparent: sunt autem amoris condimenta (*φιλτρα*), oscula, amplexus, ipse concubitus. V. 39. Recte interpretes acciperunt verba obscoena „mulier domi habet hortum“ (*κηπον*). Contra male Palmerius v. 38 „olitor“ mutari voluit. Nam vides allegoriam eamque talem esse, in qua cum horto res venerea comparetur. Sic etiam „condimenta“ proprie hortorum sunt, ut apud Columellam XII, 8 „eoque adjicito viridium condimentorum fasciculos origani — coriandri.“ Quumque hic versus corruptus sit, in primis hoc tenebimus, quod criticos fugit, in allegoria persistendum esse. Post verba „et condimenta ad omnis“ caeteri libri praeter Ambrosianum, qui hic legi non potest, ita pergunt, Vetus a pr. m. „molis malifcos“, Decurtatus „molis milifcos“, similiter sed magis prave reliqui. Conjecturae hae sunt, Camerarii „omnes mores“, Scioppii „omnes moles“, Salmasii „omnes ollas“, quarum nulla ferri potest. His omnibus jure improbatis J. Lipsius et F. Ritschelius recte judicarunt hoc in loco adhuc ulcus latere. Neque tamen, ut idem Ritschelius dicit, qui „ad omnis artis“ vel similem notionem expectat, mores muliebres cum condimentis comparantur. Immo masculi generis substantivum redintegrandum est, atque id ejusmodi, quod ab ipsa allegoria non abhorreat. Non invidebo lectoribus meam conjecturam, quae a Vetere codice unius tantum literae discrimine abest. Conjicio,
 „Domi habet hortum et condimenta ad omnis colis maleficos.“
 Caules noxii, qui ut hic caetera ambigue ponuntur, proprie sunt hortorum,

allegorice vero ut hortus ad mulierem, sic illi ad olitorem referuntur. Nam caules latine etiam de mentulis dicebantur, ut graece *καυλοί*, velut apud Pollucem II, 171. Sermo est autem de callidis meretricibus (qualis ipsa Philocomasium), quarum hortus caulibus virorum non semper pateat. Ceterum nemo id sibi sumat neque arroget, ut se omnibus de rebus in tam diffici loco recte statuisse contendat. Maxime quidem cavendum est, ne Plauto indigna excogitentur, tum etiam ne nimia audacia suscepta videatur. Totum hunc locum quanta audacia Ritschelius mutaverit, ex ipsius editione p. 33—35 cognosci potest: ego vero scribo in hunc modum,

„PER. Dixi ego istuc: nisi quid aliud vis. PA. volo. hoc ei dico:

praéfracto ut ne quá de ingenio dégrediatur mullerum,
eárumque artem et disciplinam obtineat corde. PER. quemádmodum? 30

PA. Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne is se viderit:

siquidem centiéns hic visa sit, tamen infitiás eat.

Ós habet, linguám, perfidiám, málitiam atque audáciám,
cónfidentiám, confirmitátem, frauduléntiam.

Qui árguit se, eum cóntra vincit júrejurandó suo: 35

[dómi habet animum fálsiloquum, falsificum, falsijúrium.]

dómi dolos, domi délenifica fácta, domi fallácias.

Nám mulier holitóri nunquam súpplicat, si quást mala:

dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis colis máleficos.

PER. Égo istaec, si erit hic, núntriabo.“ 40

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus, privatim 1) historiam dogmatum senis dd. h. VIII tradet; 2) sacrorum instauratiois historiam quinis dd. h. IX enarrabit. Publice catechetiken dd. Lunae et Jovis h. XII praecipiet. In Seminarii sodalito catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister 1) quinis dd. h. X Evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur; 2) quinis dd. h. XI systemata ecclesiae Romanae, Reformatae, Socinianorum dogmatica exponet et cum Lutheranorum placitis comparabit; 3) binis dd. h. III in interpretandis Novi Test. locis christologicis difficilioribus si qui exerceri velint, iis haud deerit; 4) binis dd. h. III isagogem in libros symbolicos ecclesiae Lutheranae tradet.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim senis dd. h. VIII historiae ecclesiasticae partem primam enarrabit; 2) privatim quinis dd. h. IX theologiam moralem docebit; 3) publice binis dd. horis definiendis doctrinae christianaे historiam tradet; 4) publice in Seminarii sodalito homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.
- D. Franciscus Delitzsch, P. P. O., 1) Jesaianorum vaticiniorum partem alteram (Jes. c. XL — LXVI) interpretabitur quaternis per hebd. diebus h. XI — XII privatim; 2) evangelium Joannis enarrabit item quinis diebus h. X — XI privatim; 3) librum Koheleth sive Ecclesiastae explanabit diebus Mercurii et Saturni h. XI — XII publice; 4) scholas arabicas continuabit, interpretando Ghazâlii tractatum ethicum, Jâ ejjuhâ -1- Weled inscriptum (ed. Hammer-Purgstall, Vindobonae 1838. 8.), binis diebus vespertinis publice.
-
- D. Julius Wiggers, P. P. E., 1) publice epistolam Pauli ad Galatas explicabit dd. Martis et Ven. h. IV; 2) privatim isagogem in N. T. quinis dd. h. XI; 3) privatim encyclopaediam theologicam quaternis dd. h. IX praecipiet.
-

In ordine juridico.

- D. **Augustus Ludovicus Diemer, P. P. O.**, docebit 1) publice diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX historiam utriusque Megapoleos novissimam, inde a pacto familiae Hamburgensi usque ad publicationem legis fundamentalis recentissimae, sive a die 8. Mart. 1701 usque ad d. 10 Octbr. 1849; 2) privatim iisdem diebus h. X jus privatum Germanicum, duce C. F. Eichhorn, additis differentiis Juris privati Megapolitani; 3) totidem dieb. hora deinde constituenda jus ecclesiasticum in Germania obtinens, ex libro L. Richteri ed. III.
- D. **Fridericus Raspe, P. P. O.**, h. t. Decanus, tradet principia processus judicarii civilis, duce Linde, ter h. X et sexies h. XI.
- D. **Burcard. Guilielmus Leist, P. P. O.**, 1) h. X — XI dier. Lunae, Martis, Jovis collegium exegeticum instituet, quo ad illustrandam juris Romani hodierni theoriam difficiliores fontium locos interpretabitur; 2) h. XI — XII sexies per hebd. Institutiones conjunctas cum brevi historiae juris Romani expositione tradet.
- D. **Joh. Fridericus Budde, P. P. O. Des.**, tradet 1) sexies h. VII — VIII jus germanicum privatum; 2) quater h. VIII — IX jus mercatorum.
- D. **Carolus Georgius Bruns, P. P. O.**, Pandectas, quotidie h. XI — I docebit.
-
- D. **Theophilus Henr. Fr. Gaedcke** 1) hora commoda scholam civilem eamque practicam quater per hebd. moderabitur; 2) hora commoda quater per hebd. artis notarialis tum praecepta tradet, tum exercitia practica reget; 3) privatissime examinatoria et repetitoria offert.
- D. **I. de Gloeden** collegium practicum processus civilis ter per hebd. h. IV — VI habebit.
- D. **Adolphus Schliemann** 1) privatim collegium civile practicum quinques per hebd.; 2) privatissime relatorium quod vocant instituet.
-

In ordine medico.

- D. **Henricus Spitta, P. P. O.**, tradet quatern. p. h. diebus
1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem;
cliniceen propaedeuticam binis p. h. diebus.
- D. **Carolus StrempeI, P. P. O.**, h. t. Decanus, docebit quater
p. h. 1) materiam medicam h. IV; 2) artem operationum chirur-
gicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam et
3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie
h. XI — I moderabitur.
- D. **Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O.**, 1) hora VIII
— IX in demonstrationibus anatomicis osteologiam, syndesmo-
logiam et myologiam quater per hebdomadem tradet; 2) horis
III — V artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum
in cadaveribus illustrandam docebit.
- D. **Hermannus Stannius, P. P. O.**, h. t. Rector, 1) exercitationes
physiologicas practicas moderabitur quotidie hor. XI — I;
2) anatomen comparatam docebit quaternis horis.
- D. **Christianus Krauel, P. P. O.**, 1) tradet artem obstetriciam
quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obste-
tricio quotidie h. VIII moderari perget.

-
- D. **Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopa-
diam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem
obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. **Joannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam gene-
ralem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam
morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis
artis medicae parte cupientibus offert.
- D. **Augustus Kortüm** offert lectiones de pathologia et therapia
speciali, quibus tempestive demonstrationes adjunget clinicas, pri-
vatim quaternis p. h. horis.
-

- D. **Augustus StrempeI** offert: 1) publice binis diebus artem for-
mulas medicas rite concinnandi; 2) privatim quaternis diebus
pathologiam et therapiam morborum pectoris cum exercitationibus
practicis in auscultatione et percussione conjunctam; 3) privatis-
sime examinatoria et repetitoria de anatome et physiologia.
-

In ordine philosophico.

- D. **Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O.**, h. t. Decanus, publice 1) quaternis diebus h. IX Aristophanis Nubes interpretabitur; 2) binis diebus h. IX Terenti Adelphos explicabit; 3) quaternis diebus h. III de poesi Graecorum scenica disseret. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Horati epistola ad Pisones et libri aliquot Luciane tractabuntur.
- D. **Joannes Roeper, P. P. O.**, 1) publice docebit elementa anatomie plantarum demonstrationibus microscopicis accuratius explicanda die Saturni h. X – XII; 2) privatum botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. VII; 3) de physiologia plantarum disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.
- D. **Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O.**, docebit 1) culturam plantarum agrestium quater p. h. h. XI; 2) agros metiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis tradet sexies p. h. h. III.
- D. **Ludov. Bachmann, P. P. O.**, privatum 1) quater per hebdom. Pindari carmina interpretabitur; 2) quater per hebdom. Propertii carmina explicabit; 3) privatissime quater per hebdom. topographiam veteris Graeciae, duce Pausania, pertractabit.
- D. **Hermannus Karsten, P. P. O.**, docebit 1) trigonometriam publice bis p. h.; 2) calculum differentiale et integralem privatum quater p. h.; 3) physics experimentalis partem generalem et opticam quater p. h. Privatisima denique proponit collegia de quavis matheseos et physics parte, nec non de rebus nauticis.
- D. **Carolus Türk, P. P. O.**, publice 1) Taciti Germaniam commentabitur, bis p. h. h. II; 2) disseret de constitutionibus, quae fuerunt in Francogallia, Hispania, Anglia, Germania, bis p. h. h. II; 3) historiam populi Germanici enarrabit quinques p. h. h. VIII.
- D. **Christianus Wilbrandt, P. P. O.**, privatum docebit 1) aesthetiken seu philosophiam artis quinques h. IX; 2) historiam literarum Germanicarum quinques h. X; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aestheticci moderabitur horis constituendis.
- D. **Carolus Hegel, P. P. O.**, 1) publice de civitate historice disseret bis p. h.; privatum 2) historiam recentioris aevi inde ab initio saeculi XVIII tradet quater p. h.; 3) historiam medii aevi quaternis diebus enarrabit.

D. F. Schulze, P. P. O. Des., offert publice doctrinam de calore, nec non meteorologiam et climatologiam diebus Lunae et Jovis h. XI — XII; privatim 1) chemiam universalem eamque experimentis illustrandam quotidie h. X — XI; 2) exercitationes chemicas in primis analyticas diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni h. XI — XII; privatissime agronomiam et exercitationes agronomicas horis definiendis.

D. Fridericus Francke, P. P. E., publice 1) philosophiam Kantii et Friesii, et contra simul Hegelii philosophiam describet et dijudicabit, ter p. h. h. III; 2) anthropologiam psychicam tractabit, quater p. h. h. IV. Privatim 3) religionis philosophiam illustrabit, quinis p. h. dd. h. V.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III metra, quibus Graeci atque Romani usi sunt, illustrabit; 2) quaternis diebus h. IV Aeschyli Persas explicabit; 3) binis diebus h. III Taciti Agricolam interpretabitur. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., 1) elementa ethices binis diebus h. III — IV tradet; 2) philosophiam historiae quaternis diebus h. IV — V docebit; 3) historiam philosophiae quinis diebus h. V — VI enarrabit.

D. Carolus Weinholtz privatim 1) introductionem in philosophiam ex conspectu suo (Rostock 1826) tradet; 2) logicam formalem ex compendii sui secunda parte (Rostock 1834) docebit comparatis Aristotelis et Hegelii doctrinis spectabique suos ipsius libellos hos: „Der alte Weg und die Wissenschaftsmittel,” Rostock 1840, atque „Die speculative Methode und die natürliche Entwickelungsweise,” Rostock 1834.

D. Julius Robert privatim 1) quaternis diebus de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) binis diebus historiam poesis scenicae apud Gallos enarrabit; 3) publice binis diebus de clarissimis Gallorum scriptoribus disseret, qui ab anno h. s. tricesimo floruerunt.

D. Carolus Retslag docebit 1) privatim logicen et methaphysicen quinis horis per hebd.; 2) privatim philosophiam juris quinis horis per hebd.; 3) publice historiam philosophiae recentioris inde a Cartesiana binis horis per hebd.

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, festo die et solis excepto temporeque ad recensionem librorum necessario, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriis ipsis tantummodo h. XII — I; **Museum** vero die Lunae h. II — IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferantur leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artes equitandi, pingendi, musicam et gymnasticam doceant.

Summo academie magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Stannius, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Gustavus Wiggers, Th. D.**

Juris consultorum **Friedericus Raspe, J. U. D.**

Medicorum **Carolus Strempel, M. D.**

Philosophorum **Franciscus Fritzsche, Ph. D.**

Argentoratum anno 1713
anno condit. classicae 1713
anno consil. praeceptori 1713
anno 1713



Argentoratum anno 1713
anno condit. classicae 1713
anno consil. praeceptori 1713
anno 1713

Argentoratum anno 1713
anno condit. classicae 1713
anno consil. praeceptori 1713
anno 1713

Argentoratum anno 1713
anno condit. classicae 1713
anno consil. praeceptori 1713
anno 1713

